



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. III. Matrimonii Ex Metu. Judicatur, hoc Matrimonium declarandum
esse nullum: traditurque modus probandi Metum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

feri non potuit: Titius, ut dictum est, fecit, quod potuit; suadere enim facta aliena possumus, at necessitare ad ista aliorum voluntatem non possumus: igitur nec culpæ reus, nec poenâ dignus est Titius, & consequenter

gravem ei injuriam fecit Consistorium, dum ad mille Imperialium mulctam eundem condemnavit; quam pecuniam jure optimo repetere potest Titius, cum sit iniquè, & contra Leges extorta.

CONSILIUM III.

In Causa Matrimonii ob metum dissolvendi.

SUMMARIUM.

1. Proponitur facti species.
2. Matrimonium gravi metu, & injustè extortum, irritum est jure positivo, licèt jure naturali probabiliter valeat. Ad metum gravem tria requiruntur.
3. Idem metus, per quem ceteri contractus veniunt rescindendi, imò etiam levior, sufficit ad irritandum Matrimonium. Afferuntur exempla metus gravis.
4. Metus alius est absolutè, alius respectivè gravis. In particulari an metus sit gravis, vel levis? disquirendum relinquitur judicio prudentum, & Judicis.
5. Metus incussus non præsumitur, sed probandus est per testes. Admittuntur autem etiam testes domestici & familiares, non tamen pauciores, quàm duo.
6. In defectu testium probatur metus etiam conjecturis, cujusmodi plures referuntur.
7. 8. In præsentis casu Matrimonium contractum fuit metu gravi, & injusto, consequenter invalidè.
9. 10. 11. Metus gravis in eodem casu sufficienter probatur tum per testes, tum per conjecturas, & indicia.
12. Non fuit purgatus metus per cohabitationem triennale.
13. Bertha admitti ex abundanti potest ad juramentum, etsi hoc tendat ad dissolutionem Matrimonii.
14. Potest hoc casu Jdex procedere ad sententiam declaratoriam nullitatis Matrimonii.

FACTI SPECIES.

I.



Bertha, honestorum parentum filia, à cubiculari serviebat Illustri cuidam Dominae, cujus Conjugis cum familiarior paulatim eidem fieret, suspicionem incurrit illa de illicito cum eodem consortio. Hinc ad Judicem delata, in ærumnosum carcerem conjecta est; quia verò post testes plurimos, etiam juratos, auditos convinci non poterat, quarto custodiae suae mense libera dimissa est, injuncto tamen præcepto, ut domo, & famulatio priore discederet. Parata illa erat parere, rediit tamen, eo præcisè animo, ut gratias ageret Hero, & Heræ de suppeditato interea in carcere victu. Sed ut illa rediit, Herus etiam reluctantem detinuit, utque satisfaceret Judici, eidem significat, puellam adhuc ante tempus Adventus (ad cujus initium non nisi 14. dies restabant) nuptias habituram. De istis illa ne cogitabat quidem, & propterea re cognita, fortiter restitit, causata, se ab ærumnis & infamia carceris profusè afflictam, & perturbatam, non posse facere resolutionem tam arduam. Quia verò Herus verbum dederat Judici, ne promissum non servasse videretur, tam importunis suasionibus, iris, &

minis institit Berthæ, ut (quia merito hominem ferocem metuit, nec effugere potuit, assidue domi observata) tandem cedere coacta fuerit. Animus adeò invitus adhuc magis reluctatus est, quando quaestus, & in Sponsum eidem oblatum est Sempronius, ab Hero Illustri in Praefectum pagi sui assumptus, sed puella nunquam visus, qui ita mox eidem displicuit, ut constanter asseruerit, se hominem amare planè non posse. Facienda nihilominus erant Sponsalia, animo quidem profusè invito. Hinc quamprimum omnem viam evadendi puella quaesivit; nam primò ad Sponsum misit (prout ipsemet fatetur, & defacto judicialiter factus est) ut differrentur denuntiationes Matrimonii. Quia verò is recusavit petitis annuere, illa, cum nec amicum, nec opem aliunde sperare poterat, meditata fugam est; & in hunc finem veredarios equos constituit, eodem adhuc die abitura. Sed observata à famulo; Hero prodita est, qui mox postam inhiberi jussit, puellam verò ad res suas convasandas domum reversam in ipsis adhuc scalis acerbè excepit, & in superiora domus actam, cubiculo inclusit, custodivitque ipse usque in diem nuptiarum. Hæc cum appetiit, idem Herus Sponsum & Bertham instantissimè reluctantem currui impositos, secum in pagum avexit, ubi dispensatione ab Ordinario

dinarío desuper obtenta, à Parocho illius loci copulata est, nec consentiens liberè, nec verè, quod tristitia illa gravis ostendit, in qua dies illa nuptiarum transacta est ab eadem, ita, ut, quemadmodum testis est famulus celebritati præfens, omnes copulationi præfentes unanimiter admirabundi contestarentur, se Sponsam ita adversantem, & renitentem suâ vitâ nunquam vidisse. Transacta copulatione domum revecta cum Sponso Sempronio Bertha, eidem in lectum communem tradita est: usâ hoc est illa biduo tantum; sed actum conjugalem constanter negavit Sponso. Post biduum verò ab eodem tam quoad lectum, & cubiculum, quam quoad mensam, & aliam cohabitationem se separavit, rebus, & domesticatione conjugali nunquam curata, prout Sponsus denovo ipsemet fassus est, & fatetur. Et ita in continuis discordiis, & aversione per integrum triennium vixere, donec Sempronius vitæ hujus pertæsus, coram Consistorio petiit, ut Bertha ad matrimonialiter sibi cohabitandum judicialiter compelleretur. Quare citata illa personaliter quidem in Consistorio non comparuit, per Procuratorem tamen à se constitutum remonstrari fecit, Matrimonium hoc se metu gravi compulsam inuisse, in quod nunquam consenserit liberè, nec adhuc consentiat, præsertim cum experta fuerit Sempronium, cum quo ita contraxit, hominem esse temulentum, & ferocem, quem ita averfetur, ut sine maximo & vitæ, & animæ periculo eidem cohabitare nequeat. His à Procuratore propositis, Sempronius, forsan ex timore, ne officio suo amoveatur ab Hero, querelis suis non ulterius insistit; sed utrinque ad ratificationem Consistorii (quæ etiam subsecuta est usque ad revocationem) amicabiliter conventum est ad faciendam separationem quoad thorum, & mensam. Hac separatione contenta fuisset Bertha, nec movisset quidquam circa nullitatem Matrimonii ex causa metus, si etiam acquievisset Sempronius; nam hic à Consistorio petiit, ut vel Bertha compellatur ad sibi cohabitandum, si Matrimonium judicetur validum esse, vel si invalidum ex causa metus prætensi, sibi licentia detur ad alia vota transeundi. Quia verò interea temporis ille Hussaris adlectus, militiam secutus est, & adhuc sequitur, à Consistorio interlocutoriè pronuntiatum est, si Sempronius militia desertâ, de officio sibi providerit, quo honestè se sustentet, & domicilium alicubi fixerit, ulterius futurum, quod Juris fuerit. Non putabat se Bertha per hanc sententiam ab importunitatibus Sempronii satis securam; cum nec declaratum fuerit Matrimonium illius cum isto irritum, nec in perpetuum divortii sententia lata fuerit: hinc rogavit, ut principalior hujus causæ questio, & punctus nullitatis Matrimonii attingeretur, hocque ex capite metus: quem

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

probare contendit testimonio, & Confessione propria Illustris Heri, qui, ut juratum ejus testimonium habet, fassus est, & adhuc fatetur, quòd eandem ad Sponsalia tam de futuro, quam de præfenti contrahenda cum Sempronio, nolentem coegerit. 2. Attestatione famuli idem contestantis, & simul omnia principaliora puncta controversiæ in hac specie facti allegata. 3. Indiciis variis, qualia sunt petitio dilationis denuntiationum, machinatio fugæ, inclusio usque ad copulationem, dies nuptiarum integer inter fletus, & lamenta transactus, debitum conjugale constanter negatum Sempronio, constans aversio variis signis prodita. 4. Juramento corporali, ad quod super his omnibus deponendum se Bertha ex superabundanti offert.

Deduci resolutio Casûs in hac specie facti propositi potest tum ex circumstantiis ipsius casûs, tum ex principiis quibusdam omnium consensu certis. Certum est 1. Jure saltem positivo irritum esse Matrimonium metu gravi, & injustè extortum.

Patet ex *c. veniens. 13. de Sponsal. c. cum locum. 14. eod. & c. significavit. 2. de eo, qui duxit.*

Ubi ad Matrimonium requiritur plena libertas, soluta ab omni vi, & metu. Ratio sic statuendi fuit: quia Matrimonium, cum suapte naturâ sit perpetuum, & insolubile, nisi ob talem coactionem, & plenæ libertatis diminutionem ipso jure irritum esset, postea nunquam rescindi posset, & ita infelices exitus faciliè sequerentur.

C. cum locum. cit.

Dixi *Jure saltem positivo*. Nam Jure naturali juxta probabilem valde sententiam plurimorum DD. quam etiam defendit

Layman. l. 3. *Theol. moral. tr. 4. de Just. c. 6. n. 2.*

Actus metu extorti valent, consequenter etiam Matrimonium; cum Jure naturali ad hujus valorem plus non requiratur, quam libertas consensus inter personas habiles præstiti. Addidi, *metu gravi*: talis censetur, qui in virum constantem cadit, seu qui talis est, ut eum, qui illum patitur, etsi aliàs fortis & constans sit, à proposito dimovere valeat. Ad hunc autem tria requiruntur. 1. Ut sit *majoris malitatis*, quemadmodum loquitur Ulpian.

L. metum. 5. ff. de eo, quod met. caus. gest.

Seu, ut sit gravis alicujus, & non cujuscunque mali metus. 2. Ut eum incutiens facile valeat exequi minas, quas intentat, & executurus credatur, vel saltem rationabiliter timeatur.

Gaill. l. 2. *obs. 93. n. 8.* Pont. l. 4. *de Matrim. c. 2. n. 8.* Pal. *tr. 2. D. 1. p. 7. n. 4.* Wiest. l. 1. *Decrer. tit. 40. n. 16.*

Tales sunt minæ potentium,

C 2

Laym.

2.
Supponenda.

Laym. in c. quia quaesitum. 1. de offic. de-
leg. n. 1.

3. Ut is, qui metum patitur, talis mali mag-
nam aestimationem habeat, & id difficulter,
aut omnino non avertere possit, vel evi-
tare.

L. non est. 23. in princ. ff. quod met. caus.

3. Certum est 2. & instar regulæ ab omni-
bus receptæ,

Teste Covarruv. in 4. Decret. p. 2. c.
3. §. 6. n. 4.

Eundem metum, per quem cæteri contra-
ctus veniunt rescindendi, sufficere, ut Ma-
trimonium, ob eum contractum, irritum
fiat. Imò

Præpositus in c. cum locum. cit. num. 6.

Nevizan. conf. 46. n. 3. Navar. l. 4.

Confil. 36. citati à Sanch. l. 4. de Ma-
trim. D. 6. n. 2.

docent, non requiri metum tam justum ad
Matrimonium irritandum, ac requiritur ad
alios contractus rescindendos: & ratio esse
potest, quia in Matrimonio major libertas
desideratur, quam in reliquis contractibus.
Porro exempla metus gravis passim repe-
riuntur in Jure. Talis enim 1. Est metus
mortis corporalis, mutilationis, atrocium
verberum, & corporis cruciatus.

C. cum dilectus. 6. de his, quæ vi met. caus.

l. si per vim. 4. & l. si donationis. 7. C. eod.

2. Metus vinculorum, seu carceris diuturni,
exilii, captivitatis, servitutis, sive amittendæ
libertatis.

L. ego. 4. l. nec timorem. 7. §. proinde 1.

l. isti. 8. §. si is. 1. & l. qui in carcerem.

22. ff. quod met. caus.

3. Metus stupri inferendi; quia hujus apud
probos major est metus, quam ipsius mor-
tis.

L. isti. cit. §. quodsi. 2.

4. Metus amissionis statûs honorifici.

Gloss. in c. cum dilectus cit. v. metum.

Aut bonorum vel omnium, vel majoris, aut
notabilis partis illorum; cum enim bona
quodammodo vita sint hominis,

L. advocati. 14. junct. Gloss. v. vitam.

C. de advocat. diversor. judicior.

eorum jactura aliquo modo morti æquipa-
ratur.

Tiraquell. de nobilit. cap. 31. num. 369.

Mynsing. cent. 3. observ. 27. Laym.

in c. Abbas. 2. n. 1. de his, quæ vi met.

caus.

5. Metus infamiæ, sive juris, sive etiam fa-
cti si gravis sit, eique facile occurrere non
possit; quia melius est nomen bonum, quam
divitiæ multæ. *Prov. 22. v. 1. & propterea*
à multis sicut istarum, ita etiam bonæ famæ
jactura æquiparatur morti.

*Arg. l. iusta. 9. ibi. si periculo vita, in-
famiae. ff. de manumiss. vindict.*

6. Metus Excommunicationis injustæ; quia
Excommunicatio omnium, quas Ecclesia ha-
bet, penarum gravissima est.

C. cum non ab homine. 10. de Judic.

Et infamiæ notam affert apud eos, qui inju-
stitiam ignorant. 7. Metus denique etiam
reverentialis, si ultra filii, aut filiæ; uxoris,
vel subditi pudorem, & reverentiam acce-
dat asperitas vultûs, indignatio, exprobratio,
mala tractatio, rixa, aut talium subeundo-
rum probabilis existimatio, vel importunæ,
& repetitæ preces.

Sanch. l. 4. de Matrim. D. 6. n. 7. 20.

& seqq. Less. l. 2. de J. & J. c. 17. n. 35.

& 48. Rebell. p. 2. de oblig. Just. l. 2.

q. 11. n. 10. Engl. man. Paroch. l. 2.

p. 3. c. 5. n. 4.

Qui addit regulam generalem, hunc metum
reverentialem pro justo metu habendum, si
modesta contradictio nihil juvisset.

Certum est 3. gravitatem, vel levitatem
metûs, saltem ad voluntarium magis, vel
minus diminuendum, desumendum esse non
tantum ex qualitate mali secundum se spe-
ctati, sed etiam personæ id inferentis, &
præsertim patientis; quia utique fœminam,
puerum, aut senem leve malum sæpè mag-
is movet, & perturbat, quam malum ma-
jus perturbet virum, aut juvenem forti ani-
mo. Hinc duo consequuntur. 1. Quòd
duplex sit metus gravis, videlicet absolutè
gravis, & respectivè gravis. Absolutè
gravis dicitur ille, qui est de tali ma-
lo, quod cuilibet viro, etiam constanti est
formidabile, eumque merito comovere po-
test: qualia exempla allata n. preced. Metus
respectivè gravis, qui est alicujus mali,
quod, etsi viro forti non sit formidabile, ta-
men fœminæ, puero, seni, homini meti-
culoso, merito formidandum videtur. Pro-
ceditque hoc non tantum comparatione fa-
cta inter viros, & fœminas, sed etiam in-
ter personas ejusdem sexûs; nam aliqua fœ-
mina minori malo deterretur, quam alia.

Sanch. l. 4. de Matr. D. 2. n. 4.

2. Consequitur, nullam regulam certam sta-
tui posse, qui metus gravis, vel levis sit,
sed hoc relinquendum judicio prudentum,
ipsiusque Judicis, qui id desumat pondera-
ta tam ipsius mali, quam personarum hoc
inferentium, & patientium qualitate,

ut colligitur ex *l. metus. 3. ff. ex quib.*

caus. major. Et notat Gloss. in c. cum

dilectus. cit. v. metum. Abbas ibid.

num. 8. Sylv. v. metus. q. 1. Henric.

Canif. in c. 28. de Sponsal. & Matrim.

Pirh. l. 1. Decret. tit. 40. n. 6.

Hinc Speculator

apud Rebell. de Oblig. just. lib. 2. q. 11.

num. 4.

cenfet, si alicui majus malum esset incussio
colaphi, vel levis verberatio, vel victus pri-
vatio per aliquot dies, vel patriæ derelictio
&c. quam Matrimonium contrahere, eum,
si ob incussum hujusmodi timorem contra-
heret, per metum cadentem in constantem
virum contrahere.

Cer-

5. Certum est 4. eum, qui allegat violentiam sibi illatam, nisi notoria illa sit, probare istud debere per testes, si istos habere possit,

ut sumitur ex *c. fin. de his, qua vi, met. ca.*

Hinc pro regula statuendum est, quod nemo contrahens præsumitur metu compulsus. Et ratio est: quia metum incutere est delinquere; delicta autem non præsumuntur.

L. merid. § 1. ff. pro socio.

Admitti autem hoc casu in defectu aliorum possunt, & debent etiam testes domestici, & familiares,

ut bene advertit Gloss. in *l. si quando. 9. v. patefacta. C. unde vi. Abb. in c. fin. cit. n. 2. Laym. n. 1. Pirh. l. 1. tit. 40. n. 9. Wiest. ibid. n. 8.*

Estque testium de metu aut violentia illata deponentium tanta vis etiam in causa matrimoniali, ut licet hæc favorabilis sit, duobus tamen testibus, de metu, & violentia attestantibus, magis credatur, quam centum, vel mille aliis de voluntate spontanea deponentibus, prout advertit

Gaill. lib. 2. observ. 93. num. 14. & 15. Menoch. l. 3. præsumpt. 125. n. 3. & apud hos Innoc. in c. super hoc. n. 2. de venunt. Bald. in l. sed & si quis. §. quaestum. n. 1. ff. si quis cautioni. Alciat. de præsumpt. Reg. 3. præf. 7. n. 4. Alex. Consl. 156. n. 3. Cœpolla cautel. 144.

Ratio esse potest, quia qui deponunt de metu, & violentia, deponunt de eo, quod viderunt, & in sensum corporeum cadit; qui verò de libertate contractus, loquuntur de occulta animi intentione, & de iis, quæ in conscientia, & animo consistunt, & soli DEO cognita sunt. Imò, ut notat Gaill. *l. cit.* Nonnulli existimant, metum etiam unico teste probari posse: quod tamen rectè reprobatur Alciat. *l. cit.* quia est contra regulam

C. licet universis. de testib.

quod videlicet in decisionibus causarum duo testes probata vitæ ad minus requirantur.

6. Certum est 5. Si nulli testes haberi possint, probari etiam posse vim illatam per conjecturas, & indicia, quæ violentam præsumptionem indicant.

Ita Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 1055. n. 2. & seqq.* Bartol. in *l. si ob turpem causam. n. 5. & 7. ff. de condit. ob turp. caus.* Gaill. *lib. 2. observ. 93. num. 17. Flamin. l. 13. q. 1. n. 99. Palao. rr. 2. D. l. p. 14. n. 3. & apud hos plurimi alii.*

Rationem dant; quia cum metus rarò soleat inferri publicè, sed communiter secretò, hinc efficitur, conjecturis agendum esse ad ejus probationem. Conjecturæ autem, ex quibus ille probari potest,

à Mascard. *l. cit. concl. 1054.* Et Menoch. *l. 3. præsumpt. 4. à n. 6. & præf. 126. à n. 12.*

referuntur sequentes. 1. Si præcessit tractatus de cogendo aliquem per metum ad contrahendum v. g. Matrimonium; quia tunc metus præsumitur, si post tractatum sequatur Matrimonium. 2. Si metum allegans vel in carcerem, vel etiam in domo aliqua privata clausus, retentus fuit. Nam tunc quidquid agit, præsumitur metu actum.

L. succurritur. 9. ff. ex quib. caus. major.

3. Si post actum gestum fugiat, ne illum executioni dare debeat; fuga enim indicat, quòd invitè, & contra voluntatem confenserit.

Can. constat. III. caus. 1. q. 1.

4. Si is, qui contraxit, vel contractui confensit, eo tempore lacrymabatur, aut in eo notatus fuit præter morem pallor in vultu, vox tremula, vel aliud hujusmodi; quia hujusmodi accidentia sunt effectus timoris, & renuentis animi. 5. Si is, qui contraxit Matrimonium, statim, ac pervenit in locum tutum; protestatus est, quòd noluerit contrahere; nam tunc præsumitur metu contraxisse.

L. qui in aliena. 6. §. Celsus. 7. & ibi Jalon n. 28. ff. de acquir. hered.

6. Si præcesserunt minæ ejus, qui consuevit eas exequi; nam tales minæ inducunt metum justum. 7. Si erepta sit facultas alicui liberè utendi viribus suis; quidquid enim tunc agitur, præsumitur metu factum.

Arg. l. qui in carcerem. 22. ff. de eo quod met. caus.

8. Si renuntiet quis juri suo abs re, & illo cedat; quia nullus præsumitur rem sibi damnosam voluntariè facere. Ex his ergo conjecturis, & indiciis, si aliquid, vel aliqua probentur ab allegante metum, censebitur etiam hunc probasse. Necessè est autem,

ut bene advertit Mascard. *concl. 1055. cit. n. 9.*

ejusmodi conjecturas probari legitimè, plenè, & exactè

ex l. non est 23. princ. ff. de eo, quod met. caus.

non enim sufficiunt probationes præsumptivæ. His suppositis

QUÆRITUR I.

An Matrimonium in presenti casu dici possit contractum metu, eoque injusto, & gravi?

7. **R**esp. Si circumstantiæ casus ita se habeant, prout in specie facti dicitur, dicendum est, Matrimonium hoc esse contractum metu gravi, & injusto, consequenter invalidum. Dixi 1. *Matrimonium hoc fuisse metu contractum*: quod ostenditur ex dictis; nam ut dictum est *num. præced.* metus præsumitur, si actum, qui metu factus dicitur, præcesserunt minæ; si is, qui actum metu factum allegat, post actum gestum, ne illum executioni dare debeat, fugiat; si

eidem erepta sit facultas utendi viribus suis, si dum actum celebravit, pallor in vultu, vox tremula, tristitia insolita &c. notata sint; si quando venit in locum tutum & securum, protestatus est, quod noluerit contrahere &c. atqui hæc omnia habentur in casu nostro; Nam 1. Bertha ab Hero suo Illustri ad Sponsalia tam de futuro, quam de presenti ineunda inducta fuit fortissimè sub varia comminatione. 2. Eadem Bertha post Sponsalia de futuro celebrata fugit, vel saltem consilium fugæ cepit; perinde autem est, sive actu fugerit, sive consilium fugæ ceperit, si, ne illud effectum consequeretur, non sua voluntate, sed alterius violentia factum est. 3. Retractæ à fuga adempta est ab Hero omnis occasio liberè utendi viribus suis, dum usque ad nuptiarum diem arctissimè custodita est in privato cubiculo, & ad nuptias celebrandas delata est, clausa curru eodem cum sponso, & Hero. 4. Eadem diem nuptiarum integrum inter fletus & lamenta transegit, nec posteriori tempore mutasse animum præsumi potest, cum nunquam maritum ad Matrimonii consummationem admiserit. 5. Illa ipsa Bertha constantissimè reluctata, & protestata est in contrarium, non tantum ante Matrimonium sed etiam post illud; cujus evidens effectus est separatio statim quoad thorum, & cohabitationem facta. Ergo &c.

8.

Dixi 2. *Metum hunc fuisse gravem, eumque injustum*: quod injustus fuerit, extra dubium est; quia ita urgendo, minis, impediendo fugam, detinendo clausam in cubiculo privato &c. gravem injuriam eidem intulit. Ex eodem consequitur, quod metus iste fuerit gravis; erat enim incussus ab homine feroce, ut in specie facti dicitur, qui poterat exequi, & timebatur executurus minas suas; illatus deinde fuit sceminae, eidemque puella juveni, ad quam terrendam, & de proposito dimovendam sufficit malum etiam non gravissimum; ab hac importunitate, minis, & metu illa se liberare non poterat, quippe assidue domi observata, & ne fugeret denuo, clausa cubiculo. Accedit, quia metus iste saltem reverentialis fuit, sed conjunctus cum minis, importunitate precum, mala tractatione &c. atqui metus reverentialis, junctus his circumstantiis, gravis efficitur, atque in virum constantem cadens, ut dictum est *num. 3. prope finem*. Ergo &c. Denique metus ille, vel etiam minor, ut *eod. num. 3.* dictum est, sufficit ad annullandum Matrimonium, qui satis est ad rescindendos alios contractus, simili metu initos: atqui si Bertha cum hujusmodi circumstantiis & metu celebrasset alium quendam contractum, indubitatè eidem competisset actio *quod metus causa*, qua petere potuisset rescissionem contractus: ergo &c. Ex quo sequitur, quod addidi 3. Videlicet *hoc Matrimonium esse invalidum*, nam invalidum est Matrimonium, quod contractum est metu gravi, in-

justè incusso, saltem si ille incussus sit directè ad Matrimonium extorquendum, ut dictum est *num. 2.* Tale autem est Matrimonium Berthæ cum Sempronio in casu præfenti. Quare alio non videtur opus, nisi ut circumstantiæ istæ, & metus gravis ex his circumstantiis ritè probetur. Et hinc

QUÆRITUR II.

Utrum metus gravis in casu præfenti sit sufficienter probatus?

R Esp. Affirmativè. Nam 1. duo testes jurati, si sint omni exceptione majores, faciunt plenam fidem, etiam in causis arduis, & consequenter matrimonialibus, ita quidem, ut quemadmodum Gaillius, & Menochius *n. 5.* citati existimant, major sit adhibenda fides, affirmantibus metum duobus testibus, quam mille aliis asserentibus libertatem contractus. Atqui habentur duo testes jurati; inprimis enim famulus apertè testatur de consilio fugæ, de inclusione, de renitentia & tristitia sponsæ &c. Deinde fatetur Herus ipsemet, quod Bertham ad Sponsalia de futuro, & de presenti cum Sempronio contrahenda, nolentem sub varia comminatione coegerit; quod per triduum usque ad diem nuptiarum arctissimè inclusionem tenuerit; quod omnem eidem occasionem fugæ quomodocunque tentandæ ademerit &c. Neque apparet, quo ex capite adversus hos testes fieri exceptio possit; si enim exceptio fieri adversus eosdem posset, ea fieri posset, vel quod sint familiares, qui aliis à testimonio dicendo excluduntur; vel quod testimonium Heri desumptum sit ex confessione propriæ turpitudinis; propriam autem turpitudinem fatenti non credatur. Atqui neutrum obstat: non primum; quia, ut *num. 5.* dictum est, ad probandum metum in defectum aliorum testium admitti possunt, & debent etiam testes domestici, & familiares. Non secundum; quia axioma illud solum procedit, cum turpitudine propria asseritur in favorem proprium ipsius asserentis. In odium enim fatentis fidem facit, & quidem plenissimam, si fiat per confessionem judicialem; nam hujus tanta vis est, ut infringat omnes alias probationes in contrarium, & vim sententiæ, ac rei judicatæ habeat.

L. confessus. 1. ff. de confessis. l. un. C. eod.

l. post rem judicatam. § 6. ff. de re judicat.

Et quidem meritò; quia nemo temerè contra seipsum fatetur. Igitur si fatetur, meritò haberi pro vero debet.

2. Deficientibus testibus probari metus ex conjecturis potest, ut dictum est *n. 6.* Atqui in casu nostro concurrunt tales conjecturæ, quæ modo legitime probate sint, faciunt præsumptionem moraliter certam metus, & consensus in Matrimonium à Bertha non libera voluntate præstiti, ut patet *ex n. 6. 7. & 8.* Neque

9.

10.

que dubitari potest de legitimitate probationis illarum; quia ad has probandas major probatio non requiritur, quam quæ requiritur ad probandum ipsum metum: ad ipsum metum probandum autem sufficiunt duo testes omni exceptione majores, & hi habentur in probationem conjecturarum istarum; nam Herus, & famulus in præcipuis illarum conveniunt: ergo &c.

II.

3. Probatio metus, ut rectè notat Covarruv. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 5. n. 12.

plurimum adjuvatur ex protestatione facta per allegantem metum: imò si fiat in ipso actu, adversa parte præsentem, nec contradicente, probatur ex ea metus plenè. Atqui, ut sæpius dicti testes affirmant, Bertha constantissimè abnuvit nuptias cum Sempronio, etiam cum curru imposita ad eas celebrandas avecta est, & hunc solum renutum satis indicavit in ipsa celebratione illarum, ubi ita se gessit, ut, quemadmodum famulus juratus affirmat, omnes copulationi præsentem unanimes voce admirabundi sint contestati, se Sponsam adeò renitentem, & adversantem suâ vitâ nunquam vidisse: ergo &c.

QUÆRITUR III.

Utrum non per cohabitationem triennalem post Matrimonium ita contractum censeatur purgatus metus?

12.

R Esp. Negative. Ratio est: quia ut metus censeatur purgatus, debet adesse aliquis actus spontaneam voluntatem demonstrans; quia causa semel posita semper durare præsumitur, dum aliqua ratione non probatur perire. Atqui ex parte Berthæ non adest actus aliquis, spontaneam voluntatem demonstrans, sed potius actus contrarii, videlicet denegatio usus corporis, separatio primò quoad thorum, & cubiculum, deinde etiam quoad cohabitationem & mensam, non alio sine facta, quam ut ostendat, se hunc Maritum nolle habere pro suo. Ergo &c. Accedit; quia etsi ex post facto intercessisset actus aliquis spontaneam voluntatem demonstrans, & consequenter fuisset purgatus metus, per eum tamen non convaluisset Matrimonium prius initum; nam modò post Tridentinum, quo annullata sunt Matrimonia clandestina, consensu posito ex intervallo, tantum convalescunt illa Matrimonia invalide inita, quorum vitium probari non potest in foro externo. At-

qui vitium Matrimonii, initi inter Sempronium & Bertham, probari in foro externo potest, & defacto probatum est: ergo etiam si subssecutus fuisset aliquis actus, spontaneam voluntatem indicans, per eum tamen Matrimonium non convaluisset.

QUÆRITUR IV.

Utrum admitti possit juramentum Berthæ, ad quod ipsa se offert?

13.

R Esp. Ex abundantanti admitti posse, etiam si juramentum hoc tendat ad Matrimonii dissolutionem; quia,

ut Abb. in c. mulieri. 34. de jurejur. n. 7. notat,

etiam quando agitur de Matrimonio carnali, vel spiritali dissolvendo, juramentum suppletorium deferri potest, si persona, quæ impedimentum v. g. violentiæ sibi illatæ allègat, honesta sit, & præter semiplenam probationem pro se, alias conjecturas, & præsumptiones valde urgentes habeat. Atqui in casu nostro non tantum semiplena, sed etiam plena habetur probatio imprimis ex confessione Heri, deinde ex testimonio famuli, denique ex conjecturis moraliter certis. Igitur dubium esse non potest, quin admitti hoc casu possit juramentum, ad quod se Bertha ex abundantanti offert.

QUÆRITUR V.

An hoc casu procedi ad Sententiam declaratoriam nullitatis Matrimonii à Judice Ecclesiastico ruitò possit?

14.

R Esp. Posse tutissimè; quia sententia in causa ferri à Judice potest, & debet, quando habetur plena probatio, quæ omne dubium morale tollat. Atqui in casu nostro habetur plena probatio, ut ex n. 9. 10. & 11. constat, & quidem talis probatio, quæ tollat omne dubium morale in contrarium: ergo. Conf. Si cum tali metu, qualem passa est Bertha, initus fuisset alius, quam matrimonialis contractus, & metus ille hujusmodi probationibus fuisset demonstratus, quales militant pro casu nostro, securissimè procedere posset Judex ad rescindendum contractum ex causa metus: atqui, ut dictum est n. 3. idem metus, ob quem cæteri contractus veniunt rescindendi, etiam sufficit, ut Matrimonium ob eum contractum, irritum fiat: ergo &c.

